

ficulari; ita defectus quoque ad causam particularem referendus est. Fufius hæc deducendi in conflictu fortè nobis suppeditabitur occasio.

§. 16. Nos contra medium tenentes, causas secundas à supremo rerum conditore, variis quidem operationibus elicendis; sed non nisi concursu Dei coadjutas, habiles conditas esse, docemus. Quæ sententia vero tam est consona, ut tum in libro naturæ, tum in libro scripturæ fundamenta habeat omni exceptione superiora. Scripturæ fundamentis, ne extra oleas vagemur, jam pensitandis non vacamus, sed Lectorem benevolum ad nostrates Theologos remittimus, ubi argumentorum ex sacro viridario depromptorum pro nostra sententia roboranda nubem inveniet. Ex sana Philosophia unum alterumve in scenam jam producere juvat.

§. 17. Argumentamur primò à rerum dependentia hunc in modum: Si omnes Creaturæ in essendo dependent à Deo, sequitur, quod ab eodem quoque dependeant in operando; atqui verum prius, ergò & posterius. Prius apud omnes extra omnem controversiæ aleam positum est. Consequentia probatur: quia operationes rerum essentiis debent esse proportionatæ, nec fieri potest, ut operationes subjecto, à quo manant, toto genere sint nobiliores, sed potius ejus naturam sequuntur, ita, ut si illud sit dependens, has quoque dependentes esse, necesse sit. Quemadmodum itaque causæ secundæ seu creaturæ in universum omnes in esse suo à DEO dependent, ita in operari quoque ab eo dependeant, prona efflagitat consequentia. Dependere autem creaturas in operationibus suis à DEO ceu causa prima, quoad rem nihil aliud est, quàm eas ad operationes suas exercendas indigere concursu DEI, ita ut eo destituti nihil planè agere aut efficere valeant.

§. 18. Non minoris roboris argumentum peti potest à rerum conservatione, h. m: Quicquid immediate à DEO

con-